Ex Libris Med. Chirur. Abredonensis
Donum And. Duncan M.D

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

QUÆDAM DE

TETANO

COMPLECTENS.

T. 1174

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,

QUÆDAM DE

TETANO

COMPLECTENS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ *FACULTATIS MEDICÆ* DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

*SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;*

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GEORGIUS LOANE,

HIBERNUS,

NUPER IN EXERCITU BRITANNICO, CHIRURGUS.

CALENDIS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXII.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

VIRO EXIMIO,

JACOBO M^{c}GRIGOR, M. D.

S. R. L. & E. S.

EQUITI,

MEDICORUM OMNIUM

QUI COPIARUM MILITARIUM BRITANNIÆ

MERIDIONALIS VALETUDINI CONSULUNT

RECTORI:

ARTIS MACHAONIÆ PERITISSIMO;

NECNON

VIRTUTIBUS QUÆ GENUS HUMANUM ORNANT,

INSIGNI;

HANCCE DISPUTATIONEM,

OB MULTA IN EUM COLLATA BENEFICIA,

SUMMA OBSERVANTIA,

D. D. C. QUE

AUCTOR.

NECNON,

SORORIS MARITO,

ANTONIO CONNELL, ARMIGERO;

CAUSIDICO;

VIRO LEGUM JURISQUE SCIENTI,

SUISQUE OMNIBUS CARO;

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS,

PIGNORI AMORIS FRATERNI EXIGUO,

SACRAS VULT

GEORGIUS LOANE.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

QUÆDAM DE

TETANO

COMPLECTENS.

Auctore Georgio Loane.

PRÆFANDA.

Ex omnibus valetudinis adversæ generibus, quæ homines plectere consuerunt, nulla fere tenebris densioribus velantur, nulla sacro Natura involucro potius obtexit, quam quæ viribus motricibus vitiosis proprie oriunda, *Nervosa* apud Medicos nominari solent. Neque sane latet hujus rei ratio: quid enim aut quale sit ipsius vitæ princi-

pium, "auræ illa divinæ particula," nervorum fibrarumque motricium rectrix atque conservatrix; quibusve legibus obsequatur, magna ex parte hucusque ignoramus: quo fit ut earundem partium morbi haud levi caligine versentur, nec satis horum sedes atque causæ continentes patescant. Inter hujuscemodi morbos *præpollet Tetanus*, de quo, summos Medicinæ honores ambiturus, quædam literis mandare statui, haud profecto tantum me posse argumentum nova illustrare luce professus: sed, missis inanibus rationibus, quas huc attinentes medici ediderint, mihi consilium est, quam paucissimis, quæque memoratu dignissima exponere; sive quæ usu proprio, inter medicinam faciendam, didicerim; sive quæ alienis ex fontibus deduxerim.

Medici vetustiores morbum propositum haud nesciebant, quippe qui nunquam non gentibus meridionalibus, nimirum cœlo ardentiori donatis, infestus, Græcos atque Latinos crebro et vehementer torserit. HIPPOCRATES aliique Græcorum eundem, Τετανον appellatum luculenter descripserunt: Latini eum, ineptam rationem secuti, Nervorum Rigorem nominarunt.

Cullenus *Tetanum*, classi "Neuroses," ordinique "Spasmi," subjectum, sic definivit:—"Plurium musculorum rigiditas spastica." Siquidem hoc malum duas potissimum agnoscit causas evidentes, nempe, frigus et vulnera, (non vero aliæ desunt, quas tamen hic memorare nequeo), medici duas *species* protulere; Tetanum scilicet frigore natum, atque *Traumaticum*. Quinetiam, harum alterutri multæ subjiciuntur *varietates*. Si musculi maxillæ inferiori attollendæ dicati rigent, id malum *Trismus* vocatur, frigusne an vulnus civerit. Pari ratione, si cui truncus retrorsum fertur, is *Opisthotono* laborare dicitur: si vero, corpore prorsum inclinato, mentum ossi pectoris appropinquat, homo *Emprosthotono* torquetur. Si demum obrigent unius lateris musculi, corpus horsum flexuri, *Pleurosthotonos* subest. Satis constat hæcce omnia mala unicum esse et eundem morbum, variis sedibus donatum: non raro enim omnes eidem simul musculi obrigent.

Præter *species* duas supra relatas, de *Trismo nascentium* haud silendum: quippe qui nec frigore neque vulneribus, sed causis propriis postea

exponendis, ortus, pro *specie* tertia rite existimetur.

DE SIGNIS.

Tetanus modo derepente, alias pedetentim et sensim accedit. Si frigus illatum genuerit, die circiter quarto quintove, aliquando ocyus, invadit: quod si qua pars sauciata intulerit, pede lentiori incipit, die scilicet nona decimove. Interdum quidem vix ante diem decimum quartum elapsum, vulnere jam sanescente, rigor supervenit.

Ineuntibus malis, cervix postica dolent et obrigent, nonnunquam, tam vehementer, ut caput ægerrime, nec citra dolorem, moveatur. Dolor porro molestiæve sensus imæ insidet linguæ: homoque, faucibus haud simul tumefactis, vorandi fit pene impotens.

Cervicis rigore increscente, dolor in os pectoris imum incumbere cœpit, exinde spinam dorsi petiturus: sequitur, ut, musculis colli posticis obrigentibus, caput retrahatur. Fibræ motrices, quarum est maxillam attollere inferiorem, nunc demum in tantum rigescunt, ut maxillæ invicem

connexæ, mentis injussu, figantur: quod malum *Trismus* nuncupatur. Neque vero rigor continenter torquet; at vicissim, modo quæsitissimus sævit, modo remissior urget, vel conquiescit. Istæ accessiones creberrimæ sunt: nimirum, quaque tertia quartave horæ parte, musculi affecti rigorem intentiorem ex improviso subire notantur. Tandem, adeo mala ingravescunt, ut, dorsi musculis omnibus contractis, truncus corporis retrorsum feratur; nempe, *Opisthotonos* fiat. Dolor iste jam relatus imi ossis pectoris, et exinde ad spinam pertinere solitus, insigniter increscit. Si homo supinus cubat, quem profecto situm unicum æquo fert animo, corpus arcum repræsentat, non nisi occipite pedumque calcibus lecto affixis: imo vero aliquando nova et subitanea rigoris accessio efficit, ut æger pene e cubili projiciatur.

Nonnunquam, fibræ motrices, quarum ministerio truncus prorsum inclinatur, maxillaque detrahitur, torquentur. Venter sane, ligni instar, perquam indurescere consuevit. Quinetiam, interdum musculi corpori flectendo atque tendendo accommodati pariter fere laborant, corpus porrectum et immotum figentes. Brachia adhuc rigoris

integra, nunc demum in eundem incidunt; nisi quod homo, vel ubi ad ultima ventum est, digitos fere rite movere posse non desinit. Lingua porro rigescens frequenter extruditur, a dentibus sauci-anda.

Quando huc mala pervenerint, vultus admodum velli incipit: frons rugas sibi præfert: oculi fixi vix volvuntur: facies, naso elato, genisque retractis, risu terribili distorquetur.

Jam notavi nec rigores assiduos esse, neque dolorem assidue impatibilem vexare. Quod si, iisdem mitescentibus, æger cibum potumve vorare aut loqui nititur, illico acerbiores renascuntur. Vox editur gravis et alta: si quid æger dormit, crebro et subito expergisci solet, parum exinde recreatus: nec raro continenter vigilat.

Quod ad actiones corporis interiores pertinet, arteriæ languide, æqualiter, justoque tardius, at aliquanto durius quam fert natura, micant. Dignum est notatu respirationem haud multum perturbari aut impediri. Secernenda et excernenda plerumque minus quam ex consuetudine secernuntur et excernuntur, nisi quod summa cutis assidue sudat. Urina excernitur parca, et rufa,

vel nulla. Alvus pigerrima est. Lingua nitet, nec homo multum sitit. Vultus pallescere et collabi observatur, et mentis angorem clare testatur. Res est, ni fallor, satis memorabilis, mentem integritate perfrui; præteritorum reminisci, judicare, et percipere, haud secus atque sano cuivis: paulo quidem ante spiritum extremum, infelix modo delirat.

Ventriculus officio rite perfungi consuevit: nimirum homo cibos appetit, et bene concoquit, nec tamen hoc perpetuum est; siquidem inter principia vomitus aliquando exercet.

Non fieri potest, ut tanta virium motricium perturbatio diu perstet: fatum cito pede miserum invadit, aut inedia et acerbo dolore confectum, aut rigore omnium musculorum subitaneo et intentissimo strangulatum. Si hic morbus aliquanto lentior urget, dies septem diutiusve trahere potest: incitatior triduo citiusve enecat. Certam equidem temporis legem proponere non audeo: usu enim docemur, plures diu tortos demum succubuisse. Quomodo *Tetanus* vitæ flammam extinguat, parum constat: longe frequentissime, hominem derepente strangulare videtur, corde et

spirandi instrumentis muneris exequendi præ rigore impotentibus. Quod si diutinus fuerit, mors viribus tanta incitatione prægressa labefactis tribuenda.

DE CAUSIS.

Causæ morborum triplicis sunt generis: Abditæ, Evidentes, atque Continentes. Abditæ sunt, quæ homines ad morbos subeundos propensos reddunt; eoque hoc nomine designantur, quod corpori fere inhærent. Evidentes sunt, quæ admotæ morbos excitant, multo sæpissime extra corpus positæ. Continentes sunt, "quæ morbos sublatæ tollunt, mutatæ mutant." De harum singulis pauca disputabo.

De Causis Abditis.—De causis abditis, sive proclivitatis genitricibus, auctores haud parum inter se discrepuerunt. Quidam contendunt imbecillos, luxuque et intemperantia labefactos, præ aliis Tetano opportunos esse. Alii contra affirmant, validos et plenos potissimum in eundem incidere. Ars medendi sane leges et præcepta perpetua vix habet: usus tamen, ni fallor, satis edo-

cuit vires superantes potius quam deficientes huic malo favere solitas esse. Sæpius enim homines mediæ ætatis, quam pueri aut senes, mares quam fœminæ, fortes quam infirmi; denique, sub curru solis nimium propinqui, Afri quam candidi, Tetano laborant. Haud equidem nescio, tenellos jam natos *Trismo* sæpe torqueri: quem tamen noxæ acerrimæ, mox enarrandæ, inferunt; et longe frequentius infantibus vegetis atque irritabilioribus. Siquidem hic morbus terras sole torrido exustas affectat, æstus haud minus proclivitatem moliri, quam eum ipsum excitare, habendus est. Huc fortasse operam confert, fibris motricibus irritabilioribus reddendis. Res porro est notissima genus musculosum æquo irritabilius, et nervosum sententius, homines omnigeno *spasmo aptare.* Denique, speciosi, sanguine pleni, firmi, (maximeque si Europam ex improviso Indiarum alterutra mutaverint), omnium facillimi in morbum, de quo agimus, labuntur.

De Causis Evidentibus.—Quoniam spasmus omnis est actio musculorum abnormis et in-

citatior, non mirum videbitur causas ejus excitantes esse, quæcunque nervos et fibras motrices irritent. *Tetani* igitur causæ evidentes sunt varia irritamenta, præsertim vulnera, calor ingens, frigus, et acria quædam alimenti meatui infixa. Quod ad vulnera attinet, sæpius artum, pedisve aut manus digitum, quam corporis truncum sauciatum rigor sequitur; potiusque partem mucrone vel pugione punctam aut dilaceratam, quam ferramento acuto sectam. Nec vero affirmare volo, quo gravius membrum violetur, eo acerbiorem supervenire rigorem: modo enim nervus, tendove, leviter punctus, eundem pessimum civit. Illud quoque notandum existimo, partem vulneratam fere flaccere, luridam aut pallidam; imo vero haud raro prius sanescere, quam rigor accedat: tantoque minus ad inflammationem spectare, quanto intentior *Tetanus* cruciet: ægreque et rarissime suppurare. Hinc fortasse patet, cur febris huic malo vulnere orto feliciter superveniat; quod satis medicis innotuit. Febricitare inter hæc bonum est; forsitan quod febris inflammationem et suppurationem venturas arguit; vel, quod duæ actiones incitatæ eidem corpori

contingere nequeunt. Denique, *Tetanus* vulnere natus, non nisi paucis diebus post admotam hanc noxam exactis, invadere solet.

Quinetiam frigus humori junctum, corpori jam æstuanti illatum, frequenter causa fit excitans. Hinc nautæ militesque e Britannia ad Indiam Occidentalem vel Orientalem trajecti, frequenter, inter excubias adeundas, in Tetanum labuntur.

Cœlum ardentius multum huc conferre ex eo docemur, quod hic morbus Indiarum incolas præ Europæis aggreditur; quinetiam, hi sauciati rarius, si domi manent, quam si regiones torridas petierunt, eodem conflictantur.

Denique huc attinent, quæcunque meatum alimenti irritent, nimirum, vermes intus nidulati, alvus tardior, acria ingesta, acor, ebrietas, et quæ sunt hujusmodi. *Meconium* retentum, et funis *umbilicalis* obtuso ferramento sectus, et inde exulceratus, *Trismi nascentium* causæ esse compertæ fuerunt. Nec prætermittere oportet, animi motus atque aërem circumfluum fumis onustum aut impurum.

Quod ad causam continentem attinet, de hac argumenti parte silere, quam inutiliter sermonem

producere, malo. Nondum enim lux eidem illustrandæ idonea affulsit.

QUÆ CADAVERIBUS INCISIS DEPREHENDUNTUR.

Nihil plus operæ contulit ad morborum sedes et causas continentes patefaciendas, quam corpora mortuorum ope scalpelli introspecta. Morbi vero, qui ad genus nervosum perturbatum referri solent, eo aciem medicorum diu fefellerunt, quod sæpe quam minime partium, in quas incumbunt, fabricam lædere videntur: siquidem cadavera secta frequenter nihil insoliti exhibent. Quod ad morbum propositum attinet, multa huc spectantia notatu digna sunt; pauciora tamen et leviora, quam quæ causam continentem illustrent. Musculi, qui homine adhuc spirante obriguerint, solito rubriores et firmiores, cadavere patefacto, reperti esse feruntur. Haud raro membrana canalis alimenti intima, notas inflammationis prægressæ sibi prætulit.

Maxime vero iis notis insistendum existimo, quas medicus Edinensis spectatissimus, SANDERIUS, nuper exposuit. Hic vir ingeniosus contendit, quicunque musculi *Tetano* obrigeant, eorundem nervos vasis præter naturam sanguine turgentibus instructos inveniri; imo vero, si hic morbus sævissimus torserit, nervos jam *chorda spinali* exortos, necnon hanc ipsam; atque interdum imam *encephali* partem, nimirum, *tuber annulare* et *medullam oblongatam*, pari ratione vasis tumefactis rubescere: si *Opisthotonos* mortem antecesserit, membranam *cordæ spinalis* extimam vasis quoque distentis erubuisse, nec raro *fibrinam* secrevisse. Idem auctor affirmat hæcce communia esse *Tetano* cum aliis morbis quibusdam ad ordinem Spasmi pertinentibus. Valde tamen suspicor, cadaveribus introspectis deducta nondum hujus morbi naturam penitus explicuisse.

DE DIAGNOSI.

Tetanus, notis terrentibus, suique similibus, denuntiatus, vix ulli valetudinis adversæ generi tam est affinis, ut rei medicæ expertus facile decipiatur. Cum vero quædam signa ei cum *Hydrophobia* communia sunt, quo pacto hi morbi invicem discernantur paucis exponam. *Tetanus* plures agnoscit causas evidentes: unicam *Hydrophobia*; virus nimirum, quo saliva rabidi animalis inquinatur, morsu illatum. Ille non multo post causas admotas accedit: hæc contra pede tardissimo obrepit; multos scilicet dies, vel interdum menses, post artum demorsum, homo commoda utitur valetudine; imo vero vulnus ante sanescit, quam signa dira prodire cœperint. Mens cuivis illo contorto, integerrima esse consuevit, nisi morte jam propinqua; hac contra laboranti, vel inter principia, multum turbatur. Vulnus ab animali rabido factum, etsi initio sanescit, serius ocyus sua sponte inflammatur, acute dolet et suppurat: quem vero membrum sauciatum *Tetano*

implicuerit, ei vulnus ægerrime suppurat. *Hydrophobia* tentatus aquam, quemlibetve liquorem bibere, videre vel audire pertimescit, gulæ et pharyngis fibris motricibus exinde vehementer convulsis: harum partium inflammatione incitatissima cruciatur: admodum febricitat; frequenter suos vult mordere, oraque spumantia sibi præfert. *Tetanus*, horum omnium vacuus, multa tamen, quæ alteri desunt, ostendit: qualia sunt, dolor ab osse pectoris ad spinam dorsi tendens, maxillæ invicem commissæ, &c. Denique, veluti hic morbus terras æstuosas præ aliis populari cognoscitur, ita *Hydrophobia* ibidem pene ignota est. *Hysteria* quodammodo, leniter sane, morbum propositum simulat: vultus enim *hystericis* interdum rigescit. Nec vero errabit medicus, perspectis sensu isto globi intra ventrem voluti, risuque et lachrymis vicissim accedentibus. Porro, mulieribus fere contingit *Hysteria;* eadem ægrotantes quadam ex parte soporatæ concidunt; artusque iis velluntur.

Siquidem *Tetanus* jam iniens partes affectas dolore impatibili torquet, fieri potest ut inexpertus perperam *Rheumatismum* urgere judicet:

quem vero dolor fibras motrices permeaturus, manuque premente æstu atque motu exasperatus: rubor quoque, nec raro tumor, satis superque denuntiant. Huc accedit, *Rheumatismum* frigore, unica fere causa, enasci solitum esse.

Res est notissima, *Cholera* vexatis maxillas interdum *Trismo* fixas rigescere; scilicet, malis jam ingravescentibus. Vix tamen, uter horum morborum alterum genuerit et antecesserit, rei medicæ paulo scientior non intelliget.

DE PROGNOSI.

Perpauci hoc diro morbo implicatorum revalescunt; quippe qui actiones vitæ necessarias plurimum impediat. Quamvis autem *Tetanus* nunquam discrimine vacat, vulnere tamen quam aliunde oriundus longe periculosior est. De eventu futuro judicandum erit, perspectis causis evidentibus quæ intulerint, ætate ægri, corporis indole, et signis ipsis, prout hæc graviora sint, aut leviora. Perituri celeriter absumi consuerunt: Paterque Medicinæ venerandus profitetur, siquis

dies quatuordecim ægrotat, hunc fere salvum futurum esse. Convenit sane inter medicos, cum antiquos, tum quoque recentiores, *tetanicos* quam celerrime succumbere; ideoque in bona esse spe, cui aliquamdiu musculi jam riguerint. Cui vulnus hunc morbum intulerit, is, si febris accedit, valetudinem secundam recepturus esse fertur; cujus rei supra memini. Denique, perraro exitum felicem præsagire medico licebit.

DE RATIONE MEDENDI.

De nulla re magis quam *Tetani* curatione medici inter se dissensere: quod nemo admirabitur, causæ continentis penitus ignotæ memor. Veri profecto est simile, plures causas eum insigniter mutare et moderari, quales sunt ratio ætatis, vitæ genus quod æger antea degerit, corporis indoles, cœli et loci proprietas: adeo ut remedia eadem nequaquam omnibus conveniant.

Aliquanto difficilius est hujus mali curationem consiliis certis subjicere. Cum vero medendi ra-

tio cuivis morbo exinde multo fit clarior, duo consilia proponere in animo est: hæc vero sunt,

I. Causas evidentes tollere.

II. Rigorem remediis idoneis solvere.

I. Si frigus, aliave causa, sanguinem intus a summa cute conversura, *Tetanum* genuerit, hasce noxas, cutis halitu eliciendo, atque efficiendo ut humores ad omnia membra æqualiter deferantur, debellare oportebit. Hunc in finem tepidario utendum, quod usu multum opitulari, maximeque debilioribus, compertum est: quadrantem circiter horæ in balneo commorandum. Aqua adhibita eo tepere debet ut ejus calor gradu XCVI instrumenti Farenheitani insigniatur. Si qua de causa tepidario uti non licet, corpus panno laneo tepefacto, *tinctura*que camphoræ imbuto, acriter fricari debet. Interdum sane frictio, tepidario utiliter accedit.

Si alvus tardior vel noxis irritantibus turbata hunc morbum pepererit, protinus medicamentis solicitanda et ducenda erit. Haud nescio medicum spectatum considens, aliosque, qui in India

Orientali *Tetanum* curarunt, alvum expurgare nolle. At vero HAMILTONUS satis edocuit dejectionem nostratibus plurimum succurrere. Neque solummodo iis alvus solvenda, quos eadem coacta vel irritata hoc malo plexuerit. Persæpe *opium* largius concessum alvum eo tardat, ut medicamina ei expurgandæ idonea per totum decursum *Tetani* prætermitti nequeant. Optime conveniunt initio *submurias hydrargyri*, pulveri radicis *convolvuli jalappæ* junctum; deinde, quivis mediorum salium, *infuso* foliorum *cassiæ sennæ* dissolutum.

Si qua pars dilacerata, puncta, aut quovis impetu alieno violata, *Tetanum* progenuerit, quo hanc noxam irritantem debellemus, opus erit nervum læsum acuti ope ferramenti persecare. Quum porro constat vulnera hujusmodi vix et raro suppurare, eumque eventum felicem esse, suppurationem arte moliri juvabit. *Tinctura* igitur *camphoræ* vel *oleum terebinthinæ* calefactum, vulneri, prius scalpello amplificato, affundi debet.

Si *meconium* intus inclusum *Trismo* tenellos contorserit, alvum vacuefacere medici erit; id est

medicamentis ingestis purgare, et liquoribus aptis infusis ducere. Quod si funis *umbilicalis*, ab imperito sectus, infanti *Trismum* attulerit, umbilicus *cataplasmate* emolliendus et fovendus. Undecunque demum *Tetanus* enatus fuerit, causam evidentem quamprimum subducere vel debellare medici est.

II. Proximum est ut inquiramus, quibus medicinæ auxiliis rigores solvantur. De hac argumenti propositi parte, medicos inter parum convenit; aliis nimirum alia remedia placent, prout cuique cesserint. Ex iis præcipua sunt *opium*, atque plura eorum quæ *antispasmodica* nominantur; necnon *frigidarium*, et præparata ex *hydrargyro*.

De Opio.—Quantumcunque medici de aliis inter se remediis discrepuerint, nemo, quantum scio, non permagni opium facit. Bontius hujus ope valentissimi medicamenti omnium primus, morbum, quem prosequor, debellavit. Novisse juvat longe majorem ejus copiam *Tetano* quam aliis morbis laborantibus convenire: quo vero diutius jam traxerit, eo largius et crebrius idem

concedendum esse. Quod ad modos attinet, legem certam vix proponere licet: opii concreti grana duo vel tria (consilio primo jam exacto) protinus ingerenda, totidemque secunda tertiave quaque hora danda. Copia sensim, prout opus sit, aucta. Quod si *tinctura* medicus uti mavult, drachma vel amplius singulis vicibus concedi debet. Neque sane modum amplissimum terrere oportet, dummodo rigores desiderent: dictu enim incredibile est, quantam molem hujus medicaminis *Tetano* correpti impune, nec citra fructum insignem, sustineant. Si *Trismus* vorandi facultatem tollit, liquores *opio* imbuti per alvum infundendi. Quæcunque vero copia ventriculo accommodari videatur, scire licet duplo triplove magis per anum injiciendum. Alia quoque rigori solvendo habilia, *opio* adjici consuerunt; qualia sunt, *camphora, moscus, gummi-resina Ferulæ assafœtidæ,* vinum, &c. Quibus tamen omnibus idem antecellit. Quoties frigus hunc morbum genuit, verisimile est, vinum *tartratris antimonii* utiliter *opio* accedere; quo sudor moveatur. Vinum porro non raro multum opitulatur, maximeque iis, quos frigus *Tetano* implicuerit.

Rushius maxima laude hoc prosequitur remedium; quod, haud secus atque *opium,* medici Americani et Indici potissimum valere testantur. Cortex *cinchonæ officinalis* pari ratione ab iisdem proficere fertur: attamen quo pacto juvet, dictu aliquanto difficilius est.

De Frigidario.—Siquidem tepidarium valentissimo esse remedio retulimus, minus in aprico est, cur frigidarium quoque persæpe multum valeat. Haud sane dubitari potest, medicos plures a temporibus *Hippocraticis* ad hunc usque diem hujus ope *Tetano* contortos expediise. Aliquando sane spem fefellit. Simul atque æger solio exierit, panno laneo fricanda est summa cutis; dein illico cubandum. Si sudor sequitur, frigidarium convenisse judicandum; et medicamina sudori movendo accommodata recte idem excipiunt: quod si membra, frigidario relicto, inhorrescant, nocuisse, certeve nil profuisse, habendum. Conjicio tepidarium debilioribus multo esse tutius et utilius. Quidam medici non balneo uti, scilicet, non aqua frigida ægrum submergere; sed eandem corpori affundere, consuerunt.

De Præparatis ex Hydrargyro.— Quantum valeant ex *hydrargyro* præparata, anceps hæreo: alii enim eadem permagni faciunt; alii nocitura existimant. Hasce lites componere nequeo: omnibus perspectis, quæ medici de hoc remedio literis mandaverint, suspicor idem illis potissimum opitulatum esse, qui, parte sauciata, in *Tetanum* inciderint. Quomodo rigores solvat, penitus, uti opinor, nescimus.

Efficiendum est, ut os salivæ plenum gingivæque dolentes *hydrargyrum* humores circumeuntes adire edoceant; quem in finem, vel summa cutis unguento ejusdem oblinenda, vel præparata ex *opio* adjuncta ingerenda, vel, uti nonnullis placet, *oxydum nigrum*, aut *submurias* hydrargyri in vaporem versum inhalandum. Non ignoro quosdam alia medicinæ auxilia *Tetanum* debellasse profiteri. Hæc vero prætermittere, quam inutiliter sermonem ampliare malui; eoque potius, quod omnia, a clarissimis medicis celebrata, mihimet jam protulisse videor.

FINIS.